



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Pignoribus & Hypoth. Consilium CCCXLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

gium taciti pignoris in bonis tutoris detur, & *seine in suis auct. de non alienan. ant. permus. eccles. reb.* nam alio loco est tutor vel curator debitor; alio is, qui simpliciter debitor est pupilli vel minoris: quia cum illi non nudi mandatarii vel negotiorum gestores sint, sed administrationem à lege vel iudice decretam habeant, eamque universalem, merito respectu illius, ius taciti pignoris conceditur: non item respectu illius, qui ex alia causa pupillo, vel tutori debitor est. Vnde est, quod in bonis curatoris non minori, sed bonis aut ad aliam causam dati, creditoribus non detur hoc privilegium, l. *Idem §. 1. De privileg. credit.* Proinde cum hic Canonicus non fuerit Ecclesie oeconomus aut administrator, sed tantum vel redemptor fructuum, vel locator suarum operarum, vel mandatarius, sit, ut ex debito inde contracto, non possit privilegium taciti pignoris constitui; ut nec constituitur in debitore Reipublice, l. *2. C. de iure Reipub. lib. 11.* Ita ut hac in parte par sit privilegium Ecclesie, pupilli, & Reipublice in vulgari debitore.

An verò saltem privilegium praelationis dictae Ecclesie concedendum vel negandum sit, non perinde expeditum videtur: ob id, quod plerique negent. * Sed quoniam lex aperta est, in l. *3. penult. §. ult. De privileg. credit.* quae habet, quod respectu publica creditrix omnibus chirographariis creditoribus praefertur, † verius est, idem quoque Ecclesie creditrici attribuendum esse: cum in plerisqueque omnibus juris articulis respublica & Ecclesia paribus passibus ambulent; & à republica recte ducatur argumentum ad Ecclesiam, l. *fin. C. de sacros. eccles. & ibi DD.* † Et quamvis plerique & inter eos Bartolus, in d. §. *ult. id quod de republica creditrice responsum est, in d. l. penult. §. ult. ad rempublicam Romanam referant & restringant: communis tamen receptum est, ad quamcumque rempublicam pertinere: cum generaliter omnis respublica pro pupilla accipiat, l. *Rempublicam C. de iure reipub. lib. 11.* & privilegij adjuvetur. Eoque sensu dictum I. C. responsum accipit Accursius, & alibi eam sententiam communem esse testatur Fulgosius, in d. l. *penult. §. ult.* Atque ita verum est, quod dicta Cathedralis Ecclesia in bonis huius sui debitoris praelationem habeat inter alios non privilegiatos nec hypothecarios creditores. Quod in proposito ob id certius dici potest, ex eo, quod hic debitor suae propriae Ecclesie debitor sit. Nam ex sententia Innocentij, & Ioannis Andreae, tradit Panormitanus, in c. *Etiam te in fin. De qualis ordinand.* quod si quis contraxerit cum Presbytero alicujus Ecclesie, ita quod idem ejusdem Ecclesie debitor sit, non concurret cum Ecclesia, sed praefertur illi Ecclesia; quae id quod ei debet proprius clericus, ex bonis antea deducet quam reliquis debitoribus solvetur. Exemplo peculij, in quo domini conditio prior, creditorum posterior est, l. *Sed etsi §. peculium D. de peculio.* Quod enim clerici habent velut ex dispensatione, & ut concessum peculium habent, extra De peculio Clericor. c. *Cum in officijs De testam.* quod ob id non condito ex permisso testamento apud Ecclesiam manet: sic ut alij creditores iustam querelae ra-*

tionem non habeant, si ad residuum dumtaxat admittantur tunc cum ignorante Ecclesia seu ejus Praelato alij creditores in creditum cum hoc presbytero iverunt. Qui tamen cum Ecclesia concurrerent, & Ecclesiam ad tributum recte cogerent, si sciente Ecclesia eorum credita essent contraria.

De Pignoribus & Hypoth.

SUMMARIVM.

Ius Praelationis causa pia Scholarium.

1. Scholarium pauperum causa pia est ac doti aequiparatur.
2. Scholares pauperes habent privilegium praelationis inter creditores sicut dos.
3. Dotale pecunia an sit quae ad dotem destinata.
4. Depositum privilegiatum non est enim ex eo percipiunt usurae.
5. Tutela non tantum pupillorum sed etiam Collegiorum est.

CONSILIUM CCCXLIX.

IN contentione, quae est in lite, quae coram Magistratu Antverpiensi agitur, inter Dominicellas Claram, Catharinam, & Jacqueliam Lopez Aërices; & Collegium pauperum studientium scholarium Sabaudense Opponens, super iure praelationis in concursu creditorum ad bona quondam Michaelis Turlant, qui insolvens mortuus est; iustior est partis Opponentis oppositio, & contraria praelationis assertio, quam Agentium intentio. † Etenim communi fere Doctorum traditione receptum est, quod causa scholarium, seu studij, non tantum pia reputetur, & privilegij piarum causarum gaudeat, And. Tiraquelli in tract. de pia causa in praefat. verb. item relictum causa studij, Horat. Lucius in tract. de privileg. scholar. verum etiam doti seu causae dotis exaequetur; eademque, quae dos, in iure privilegia habeat: propter commoda, quae non minora ad Rempublicam, quam ex dote proveniunt, quod à Bartolo primum annotatum, in l. *1. in fine D. Solutio maritum.* omnes uno ore probant, Angel. in d. l. *1. nu. 1. Iason nu. 45. Ripa nu. 19. Socin. nu. 277. Decius in l. ult. C. de edendo nu. 19. & quos novissime recenset Horat. Lucius in d. tract. c. 3. † ideoque inde inferunt, quod ut causa dotis habet privilegium praelationis, quo mulier pro repetenda & consequenda sua dote praefertur omnibus creditoribus, etiam tempore prioribus, ac tacitam hypothecam habentibus; l. *Afidum C. Qui potior in pig.* ita quoque creditum, quod ex causa studij, seu ob studium, pro alendis scilicet Professores vel scholaribus petitur, praefertur debet quibuscumque alijs creditis, etiam tempore prioribus, Angel. Iason & alij in d. l. *1.* Quod idcirco nominatim inter privilegia scholarium retulerunt Petrus Rebuffus, de privil. scholar. privileg. 82. & sequ. & Horatius Lucius, d. cap. 3. Et quidem idem Rebuffus, d. privil. 82. exemplum ad hanc causam accommodatissimum protulit de mercatore fallito, in cuius distractione bonorum, retulit ex Iudicis sententia prius solum fuisse scholaribus, quam alijs creditoribus mercatoribus. Ex qua ratione communiter omnes quoque tribuunt*

tribuant scholaribus, seu causæ studij, ius tacitæ hypothecæ in bonis debitoris, *DD. in l. 2. in fine D. Solut. matrim.*

Quod cum ita sit, consequitur Aëtrices non rectè prætere de ius prælationis in comparatione dicti Collegij & scholarium ejusdem; præsupposito etiam quod eadem Aëtrices prætere de possint titulum & privilegium dotis, ut omnimodò prætere de videntur. Nam illa æquiparatio & concursus utriusque privilegiatæ causæ, *Bart. in d. l. 1. nu. 3.* hoc ut minimum efficere debet, ut non prius mulieri dos, quam scholari suum creditum ad sustinenda studia destinatum, solvi debeat, *Angel. in d. l. 1. nu. 12.* Ideoque in omnem eventum malè sustinent Aëtrices omnimodam prælationem respectu etiam huius Collegij. * Quamvis interim verius sit, dictas Aëtrices titulum & privilegium dotis non rectè prætere de: neque enim omnis pecunia, quæ ad dotem destinatur, consensu dotalis dicenda est; sed tantum quæ in dotis causam conversa est, vel per contractas nuptias, vel per sponsalia, *l. si sponsalia de iure dotum*; non enim intelligitur dos sine matrimonio aut sponsalibus, *l. 3. eod. tit.* Ita quod pecunia per Martinum Lopez dicto Michaeli Turbant numerata, ad sœnus inde exercendum, & dictas filias, cum nobiles essent, maritandum, pro dotali accipi non possit, nec ei attribui privilegia dotis. † Eoque minus, quod pecunia illa non simpliciter apud Michaeli deposita fuerit, sed data ad usuras: inde enim amittitur privilegium prælationis, quod creditor usuras ex deposita pecunia accipiat, *l. si hominem §. quoties D. Depositi, l. si ventri §. in bonis, & ibi Ripa nu. 4. De privileg. credit.* Neque vero potius aliquid ius constituendum est in Aëtricius, ex eo, quod Michael eorum tutor fuisse dicatur: nam de suscepta & administrata tutelâ nihil constat; sed tantum de decretâ. * Et eo constituto, nihil meliore loco essent Aëtrices; ob id, quod idem Michael testamento fundatoris, dicti Collegij fuerit quoque constitutus Provisor; quod aliud non est, quam esse ejusdem Collegij tutorem: nam tutela seu curatela non concluditur tantum ad pupillos & minores, sed extenditur ad quoscunque, qui alterius defensione ex sua conditione indigent, *l. Dabimus cum 2. l. seq. De privit. creditor. & ibi Ripa.*

Quibus attentis aliisque per Dominum Advocatum causæ subtiliter adductis, officium spectatissimorum Dominorum Iudicum esse opinamur, ut secundum conclusionem pro parte dicti Collegij propositam, & pro illius prælatione sententiam dicant.

De Pignoribus & Hypothecis.

S V M M A R I V M.

Ius prælationis locatoris contra funeris expensas.

1. Conductor ædium illata bona iure pignoris obligari.
2. Funeraria actio quando sit privilegiata.
3. l. Impensa De religiof. & sumpt. funer. explicata.
4. Solvendo potius, quam insolendo quemque præsumi.
5. Funeraria actio quatenus pateat.

6. 8. Inveſta & illata in prædium urbanum pro pensionem obligantur etiam alio postea translata.

7. Serviana actio differt à Salviano interdicto.

9. Sententia dat non realem sed personalem actionem.

CONSILIUM CCCL.

IN concursu creditorum ad pretium distractæ suppellectilis & bonorum mobilium, quæ ad quondam M. Lavinum Meganck pertinerunt, & ex causa iudicati seu executionis, publicæ hactenus seu auctori exposta & distracta fuerunt, primum ad instantiam Domini Abbatis & Monasterij Parcentis, & deinde ex petitione & consensu aliorum creditorum; potius ius habet creditor ex causa locationis ædium, in qua dictus M. Lavinus conductor eandem suppellectilem & bona mobilia semel inexit, & ejus heredes postea evexerunt & amoverunt: * ob id, quod dictus Dominus Abbas non tantum chirographarius, sed hypothecarius quoque sit creditor ex causâ legalis & taciti pignoris; quod etiam contra expressam conventionem contrahitur, in rebus in conductam domum semel inveſtis & illatis, *l. 2. l. Eo iure, l. Licet v. In quib. caus. pign. vel hypot. tacite contrah. l. ult. C. eod. l. Certe iuris C. De locato & conducto*; & sic ratione pignoris & hypothecæ præferri debeat omnibus chirographariis (hoc est sine pignore & hypothecâ, *l. 1. C. Etiam ob chirog. pecuniam pignus teneri*) creditoribus, *l. si fundum l. Qui pignus C. Qui pot. in pig. Gloss. l. Quod quis De privit. credit.* etiam si causa debiti, quam illi prætexunt, sit anterior, *l. Interdum Qui potior. in pig. hab. & alicui etiam privilegiata*, quia potius ubique est ius reale iure personali, *l. Eos C. Qui pot. in pign. etiam privati hominis adversus fiscum, d. d. l. si fundum, d. l. Qui pignus.* Proinde quod ad prælationem obtinendam pro parte Venerabilis Domini Ioannis ab Egmont ejusque consortium ex funeraria actione, ob debita & non soluta jura funeralia dicti M. Lavini, & ejus uxoris proponitur, non potest hanc dicti Domini Abbatis prælationem seu potius prioritatem infringere.

Est enim, ex iuris communis dispositione, funeraria actio seu causa, sit usque adeo privilegiata, ut præcedat omne æs alienum, quod de iunctus debitor relinquit, *l. Impensa 45. De religiof. & sumpt. funer. Gloss. in l. Asidius in V. Habeant C. Qui pot. in pig. l. ult. §. in computatione & ibi gloss. in V. in funus C. De iure de lib. Alciac. cons. 615. Præsens questio nra, ac præferatur etiam ei, qui tacitum, non etiam expressum seu conventum pignus obligationi coniunctum habet, *Gloss. in d. l. Impensa, ant. Negusantius in tract. de pignor. & hypoth. par. 5. par. princip. nu. 28. Franc. Ripa in l. Privilegia De privit. credit. nu. 48. & 62.* ideoque inquilino mortuo etiam ex rebus inveſtis & illatis defunctum funerandum, & ex eo, quod superfluum manserit, pensionem seu mercedem locatori solvendam esse, expresse ex sententia Pomponij responderit Vlpianus, in *l. si quis §. 1. D. De religiof. & sumpt. funer.* id tamen non obtinet nisi tunc cum inquilinus non solvendo mortuus est: hoc est cum nihil unde funeretur reliquit, præter inveſta & illata. † Conditionale enim est dictum Vlpiani responsum, his verbis conceptum: *si inquilinus mortuus est, nec sit unde funeretur.* Cui consonant hæc verba*